







Q. D. B. V.

A D

552.  
1770 3

IVRISPRVDENTIAM  
TIBERII CLAVDII IMPERATORIS  
COMMENTATIO

Q V A M

S I N E P R A E S I D E

QVAE EST SINGVLARIS SERENISSIMI ELECTORIS  
SAXONICI GRATIA

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A D R I T E C A P E S S E N D O S

SVM MOS I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S

DIE XIII. AVGVSTI A. O. R. CICI<sup>o</sup>CCLXX.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

IOANNES CHRISTIANVS FRANCKIVS

VITEBERGENSIS

I V R . V T R I V S Q V E C A N D I D A T .

---

V I T E B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.







CAP. I.

*Instituti ratio.*

**C**um in eo essemus, vt lex nobis scribendi necessitatem videretur imponere, diu haesitabamus, de quaenam re nobis essent facienda verba, vsque dum, quae sub Imperatore Tiberio Claudio obuenerunt, iuris mutationes animum ad id inducerent, vt de celebrioribus sub eo factis Senatusconsultis, aliisque eius institutis quaedam delibare statueremus. Me quidem non fugit, Petrum Fabrum aliosque magni nominis Iureconsultos de Senatusconsultis sub Claudio conditis sigillatim et multa et egregia dixisse, sed id mihi curae fuit, vt in arctis, qui dissertationi positi sunt, finibus, ea iuris capita vel plane praetermitterem, vel paucis tantum, si aliter fieri non poterat, tangerem. Difficilioribus probabilitates attulimus locis, et, vt ab aliis nonnunquam dissensimus, ita si alii, quibus ius suffragii est, a nobis iure dissentient, causa lubenter cademus.





## CAP. II.

*De Senatusconsulto in gratiam sexagenariorum  
condito.*

Recte diuinavit IACOBVS GOTHOFREDVS<sup>a)</sup> egisse legem Iuliam et Papiam Poppaeam, et quae ad eam facta sunt Senatusconsulta de sexagenariorum et quinquagenariorum nuptiis, sed non recte seceuit, quae debuerat, vnde non potuit non IACOBI PERIZONII<sup>b)</sup> et IOANNIS GOTTLIEB HEINECCII<sup>c)</sup> notam incurrere, sed et hi sententiam legis minus expedisse videntur. Scilicet ex quo veterem disciplinam deferere, et sceleratissimis quibuslibet scaterere incipiebant Romani libidinibus, iustas respuere nuptias, inhiare alienis, et, si quam forte signandam esse statuerent dotem, id annis in senium vergentibus seruare mos erat. Tot tantisque vt obicem poneret flagitiis, in animum sibi induxerat Augustus, qui variis legibus sepere matrimonia, ciuibusque thalamorum securitatem restituere conabatur. Ita enim Poeta<sup>d)</sup>

*Nullis polluitur casta domus stupris,  
Mos et lex maculosum edomuit nefas,  
Laudantur simili prole puerperae,  
Culpam poena premit comes.*

Lex Iulia et Papia Poppaea praesertim eum in finem erat perlata, quo citius ciues ἀκολασίαν fugerent, et ad iusto tempore ineun.

<sup>a)</sup> in not. ad leg. Iul. et Pap. Popp. Cap. II.

<sup>b)</sup> in dissert. ad leg. Vocon.

<sup>c)</sup> in Commentat. ad leg. Iul. et Pap. Popp. libr. II. Cap. III.

<sup>d)</sup> Horat. libr. IV. Od. V.





ineunda matrimonia praemiis et poenis adducerentur. Hinc illa sexagenariorum et quinquagenariorum nuptias iniustas declarabat, quod caput, cum circa illud interpretes mirifice fluctuentur, ita restituendum esse arbitramur: *Omnes puberes virique potentes matrimonium liberorum quaerendorum causa inire tenentur.* Sic habet et probat Heineccius, *sexagenario masculo cum femina quinquagenaria nec non spadonibus nuptias contrahere ius ne esto, a poenis huius legis tamen post hanc aetatem vii et spadones liberi sunt,* ita nos censemus. *Sexagenarii masculi, quinquagenariae feminae et spadones a poenis huius legis liberi sunt.* Sic Heineccius. *Sexagenario masculo quinquagenariae feminae nuptias contrahere ius ne esto. Post eos tantum annos coniuges poenis huius legis solvuntur.* Spadonibus item nuptias contrahere ius ne esto, ita Gothofredus. Statuisse caput hoc de sexagenariorum et quinquagenariorum nuptiis, quae enim amplius eo continentur, ad praefens institutum non pertinent, (et a GOTHOFREDO<sup>e</sup>) et HEINECCIO<sup>f</sup>) iam dudum uberius sunt explicata, elegans exemplum apud VALERIVM MAXIMUM<sup>g</sup>) luculenter probat, ubi Augustus Septiciae, quae filiis irata in contumeliam eorum, cum iam parere non posset, Publicio seni admodum nupserat, et testamento filio praeterierat, nuptias et suprema iudicia improbavit, ideoque hereditatem maternam filios habere iussit, dotem autem, quia non liberorum creandorum causa coniugium intercessit, virum retinere vetuit. Sprevit enim quos genuit, nupsit effoeta, testamenti ordinem violen-

A 3

<sup>e</sup>) l. c.<sup>f</sup>) l. c.<sup>g</sup>) Libr. 7. Cap. 7. No. 4.





to animo confudit, neque erubuit ei totum patrimonium addicere, cuius pollincto iam corpori marcidam senectutem suam substrauit. En coniugium improbatum feminae effoetae, quae amplius parere non potest. Sed quanam ea est? certe quinquagenaria. Audias Paulum <sup>b)</sup> si sterilis ancilla sit, cuius partus venit, vel maior annis quinquaginta, cum id emtor ignorauerit, ex emto tenetur venditor. IVSTINIANVS <sup>c)</sup> partum quinquagenaria maioris mirabilem et raro contingentem vocat. PLINIVS <sup>d)</sup> disertis ait verbis, mulier post quinquagesimum annum non gignit. Nec probatur coniugium senis admodum, cui pollinctum iam est corpus, seu ex VARRONIS <sup>e)</sup> interpretatione sexagenarii. Sexagesimo enim anno corpus senescere incipit, inde vsque ad finem vitae vnus cuiusque quintus est aetatis gradus, in quo qui sunt, senes appellantur, quod ea aetate senio corpus iam laboret. En poenas coniugii improbati seu iniusti, hereditas materna filiis obuenerit, dotem autem vir retinere non debet, e lege Iulia et Papia Poppaea enim tales coniuges inter se nihil capiunt, <sup>m)</sup> mortuaeque muliere dos caduca fit. Sed haud ita multo post Senatusconsultum Perficianum <sup>n)</sup> ad illud legis

<sup>b)</sup> l. 21. pr. de act. emt. vend.

<sup>c)</sup> l. 12. C. de legitim. heredib.

<sup>d)</sup> Histor. natural. libr. VII. C. XIV.

<sup>e)</sup> apud Cenforin. de Die natal. Cap. XIV.

<sup>m)</sup> Heinecc. in Comm. ad I. Iul. et Pap. Popp. libr. II. Cap. VI.

<sup>n)</sup> ita legendum esse Perizonius in diss. de leg. Vocon. pag. 156. contendit, ut a Fabio Perfico appellatum sit, qui Consul fuit sub Tiberio ao. V. C. 1500 LXXXVI. Pighius in Annal. ad h. ann.





legis Iuliae et Papiae Poppaeae caput fuit factum, quod, quantum perspicimus, integritati suae pristinae sic reddi debet. *Sexagenario nuptias contrahere ius ne esto, quinquagenariae nuptiae quidem sint, qui tamen intra sexagesimum, et quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, illi quidem iniustarum nuptiarum, hae autem coelibatus perpetuis teneantur poenis.* Sueton. in vit. Claud. C. 23. Vlpian. in fragm. titl. 16. §. 3. Aliter quidem HEINECCIUS \*) sed omnem eximit dubitationem SVETONIVS, †) quem tamen Gothofredus contorquet, Perizonius autem et Heineccius non satis perpenderunt, quippe qui refert, Tiberium Caesarem legi Papiae caput, quasi sexagenarii generare non possint, addidisse. Nec vero lex Iulia et Papia Poppaea promiscuis, sed mutuis tantum matrimoniiis sexagenariis et quinquagenariis interdixerat. Hinc quaestio nata, numne sexagenarius quinquagenaria minorem, et quinquagenaria sexagenario minorem ducere possit, Senatusconsulto Perficiano decisa, et sic legi Papiae caput additum fuit. Quod magis adhuc locus Senecae apud LACTANTIUM ‡) probat. Quare enim, inquit, apud Poetas salacissimus Iupiter desit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia sibi imponit, an impetrauit ius trium liberorum? Attamen Imperator Claudius §) prout ipse libidinis in feminas fuit profusissimae, ita quoque huic capiti legis Papiae a Tibe-

\*) in Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. libr. II. Cap. III.

†) in vit. Claud. Cap. XXIII.

‡) libr. I. Institut. diuinar. Cap. XVI.

§) Sueton. in vit. Claud. Cap. XXIII.





Tiberio Caesare addito obrogavit <sup>1)</sup>, et sexagenariis matrimoniorum expetendorum veniam fecit, Senatusconsulto eius rei causa facta. <sup>2)</sup> *Vti, qui maior sexagenario minorem quinquagenaria duxerit, perinde habeatur, ac si minor sexaginta annorum duxisset uxorem.* Sueton. in vit. Claudii Cap. 23. Vlpian. in fragm. tit. 16. §. 3. Hoc ab eo Claudianum audit, incertae tamen est aetatis. Sexagenariis itaque fibulam laxavit Senatusconsultum, ut in posterum ab iniustarum nuptiarum coelibatusque poenis securi, nuptiales, minus honestas tamen, signare possent tabulas. Sic vxor Domitii Tulli apud PLINIVM <sup>3)</sup> parum decore secuta fuisse dicitur matrimonium diuitis senis, licet post eius mortem amoenissimas villas, et magnam acceperit pecuniam. Cum autem hocce Senatusconsultum e benigna interpretatione in quinquagenariorum feminarum fauorem trahi, et sic Persiciano Senatusconsulto derogari coepisset, Senatusconsulto Caluitiano: <sup>4)</sup> *Vt quae quinquagenaria maior minori sexagenario nupsit, quae minor sexagenario maiorem quinquagenaria duxerit, ei impar illud matrimonium ad capiendas hereditates dotesue legatas ne proficeret, sed dos mortua muliere caduca fieret,* Vlpian. in fragm. tit. 16. §. 3., cauebatur. At enim vero ex quo CON-

STAN-

<sup>1)</sup> Vlpian. in fragm. tit. I. §. 3.

<sup>2)</sup> Sueton. loc. cit.

<sup>3)</sup> in epistol. Libr. VIII. ep. 18.

<sup>4)</sup> ita legitur apud Vlpian. in fragm. tit. 16. §. 4. Iac. Perizon. in diff. de leg. Vocon. p. 63. maualt Caluissianum, incertae est aetatis, sub Nerone tamen conditum videtur.



❧    ❧    ❧

9

STANTINVS M. <sup>u)</sup> HONORIVS et THEODOSIVS <sup>\*)</sup> coelibatus et orbitatis poenas abrogauere, etiam hoc ius obfolere coepit, quod demum ab IVSTINIANO <sup>3)</sup> concepta sublatum est sanctione.

CAPVT III.

*Senatusconsultum in gratiam patruorum Ao. V. C.*

DCCC. A. Vitellio et L. Vipsanio Coss. conditur.

Si qua in re, certe in nuptiis contrahendis, conspicua erat veterum Romanorum disciplina et integra morum sinceritas. sedulo enim a cognatorum nuptiis abstinebant, e republica esse ducentes extranea vota appetere. Ita vero prudenti consilio arctiore nexu familias iungebant, <sup>2)</sup> rixis coniugali- bus gentem ipsam liberabant, et mulierem, quae propinquo- rum auxilium quaerere poterat, aduersus iniurias mariti tue- bantur. <sup>4)</sup> Ab hac tamen feueritate senescens discedebat respublica. iis enim temporibus, quae nuptias primum in- quinabant, virgo de tenero vngui incestos meditabatur amo- res. <sup>b)</sup> Incestus, auctore Festo <sup>c)</sup> a graeco verbo ἀνήμερος, sce- lus

<sup>u)</sup> L. 1. Cod. Theod. de infirmam. poen. coelibat.

<sup>\*)</sup> L. 2. Cod. Theod. de iur. liber.

<sup>3)</sup> L. 27. C. de nupt.

<sup>2)</sup> Lucan. libr. I. vers. 111. sqq.

<sup>4)</sup> conf. Plutarch. quaestion. Roman. in fin.

<sup>b)</sup> Horat. libr. III. Od. VI.

<sup>c)</sup> de verb. signific. lib. IX. p. 183.

B





lus grauissimum et inexpiabile denotans dicitur, et coitum reuerentiam sanguinis laedentem denotat. Equidem, quod ad ius Romanum attinet, quæ legibus XII. Tabl. et rogatione Peducaea, cuius meminit CICERO, <sup>d)</sup> quamque PIGHIUS <sup>e)</sup> ad annum v. c. DCXL. refert, de incestu sancita fuisse, ætatem non tulerunt. PLVTARCHVS <sup>f)</sup> tamen populum, cum quidam ideo, quia confobrinam vxoris loco habere putabatur, accusaretur, eum absoluisse, et Psephismate, *πάντων ἐξένας γαμῆν ἀχρησίνων, τὰ δὲ ἀνωτέραν νεκρωδία,* declarasse memorat, et is sane est vnicus locus, quo nuptiæ cum fratris filia Claudii ante tempora prohibitiæ leguntur. nec enim lex Iulia de adulteriis, quamquam magni nominis Iureconsulto IOANNI GVILIELMO HOFFMANNO <sup>g)</sup> alia omnia placent, de incestu, aliquid sanxit, quod VLPIANVS <sup>h)</sup>, quem Hoff-

<sup>d)</sup> de natur. Deor. libr. III. C. XXX.

<sup>e)</sup> In annalib. T. III. pag. 110.

<sup>f)</sup> in quaest. Roman.

<sup>g)</sup> in libr. singular. ad leg. Iul. de adulter. Cap. VIII. §. V.

<sup>h)</sup> L. 4. π. de quaest. Verba legis ita se habent: *In incestu seruorum tormenta cessant, quia et lex Iulia cessat de adulteriis*, eiusque interpretationem paucis addamus. Vetere Ienatusconsulto, cuius meminit Tacitus l. II. Annal. Cap. XXX. quaestio in caput Domini fuit prohibita, successu temporis tamen incestus causa excepta, et ita in M. Antonii Oratoris e Valerio Maximo libr. VI. Cap. VIII. No. I. nec non P. Clodii, e Cicerone pro Milone Cap. XXII. accusationibus obseruatum fuisse constat. Adiecta est adulterii causa lege Iulia de adulteriis l. XXVII. §. 6. π. ad leg. Iul. de adulter, l. VI. π. de quaest. L. VI. Cod. ad leg. Iul. de adulter. Sed solo





Hoffmannus fundum suae sententiae ponit, aperte probat, nec  
lex Iulia et Papia Poppaea de incestu nisi in affinitate <sup>1)</sup> ali-  
quid disposuit, quam nostram sententiam Vitellii Consulis  
B 2 oratio

solo patre vel marito iure privilegiato accusantibus, quod Imperato-  
res M. Aurelius Antoninus et Septimius Seuerus etiam ad extraneos  
prorogarunt. L. XVII. pr.  $\pi$ . de quaest. Cuiac. in Obseru. Libr. XX. Cap.  
XIV. Ab eodem Septimio Seuero, qui, vi e Dione apud Xiphilinum con-  
stat, legem de scortationibus tulit, seu legem Iuliam de adulteriis subro-  
gatis constitutionibus renouauit, et Antonino Caracalla deinde rescrip-  
tum est, non nisi in adulterii crimine, fraudati census accusatione, et  
crimine Maiestatis quaestionem haberi debere. L. I. C. de quaest. Sub Septi-  
mio Seuero Aemilius Papinianus floruit, et Domitius Ulpianus exsplen-  
descere coepit Spartian. in Caracall. Cap. VIII. et l. 4. Cod. de contrah.  
stipulat. Hinc Papinianus et Ulpianus cum quaereretur: numne  
in incestu seruorum tormenta locum haberent? responderunt. Cum  
ab Imperatoribus Septimio Seuero et Antonino Caracalla rescriptum  
sit, quaestionem in caput Domini non nisi in adulterii crimine e lege  
Iulia permitti, et in ea lege nihil de incestus crimine dispositum inue-  
niatur, seruorum tormenta omnino cessare debere. Cui interpreta-  
tioni libri *Βασιλικῶν* adstipulantur, ita hanc legem vertentes: *ἐπὶ τῷ*  
*ἀδικεῖν ἢ βασανίζονται οἱ δόλοι, ἔτε γὰρ ἀεμύζεις ὁ περὶ μοιχείας*  
*νόμος*, nec refragantur, quae apud Iulium Paulum Sentent. Recept. libr.  
II. Tit. XIX. §. 7. inueniuntur. Sed vero (si vero) cognatam contra interdi-  
ctum duxerit, remisso mulieri iuris errore ipse poenam adulterii legis Iu-  
liae patitur non etiam ducta. Hic enim poenam adulterii legis Iuliae  
pati, minime lege Iulia de adulteriis teneri, sed, eandem poenam, quae in  
lege Iulia in adulterium statuta fuit, subire denotat.

<sup>1)</sup> Ioann. Gottl. Heinecc. Comment. ad leg. Iul. et Pap. Popp. libr. II.  
Cap. XVII.

oitum  
quod  
roga-  
PIG-  
a fue-  
en po-  
co ha-  
smate,  
laraffe  
m fra-  
enim  
recon-  
ia pla-  
quem  
Hoff-

um tor-  
rpreta-  
facitus  
lucceflu  
atoris e  
one pro  
ecla est  
Iul. de  
Sed  
solo





oratio ad Senatum: <sup>k)</sup> *At enim noua nobis in fratrum filias coniugia, sed aliis gentibus solennia, nec lege vlla prohibita, et sobrinarum diu ignorata tempore addito percubuisse, morem accommodari, prout conducatur, et fore hoc quoque in his quae mox usurpentur, luculenter firmat. Quare Imperator Tiberius Claudius, vti in cognoscendo circumspectus et sagax <sup>l)</sup>, ita, ne in malum publicum erumperet, nullo exemplo deducta domum patruum fratris filia <sup>m)</sup> solennia nuptiarum cum Agrippina celebrare volebat, vsque dum patrum Decreto iustae inter patruos fratrumque filias nuptiae statuerentur. Itaque Ao. V. C. DCCC. A. Vitellio et L. Vipfiano Consulibus <sup>n)</sup> ἡ Φίσιμα ἐποιήσαντο, ἐξέιναι Ρωμαίοις ἀδελφίδας ἀγεσθαι. Et hoc iure Quirites ad M. Cocceii Neruae vsque tempora sunt vsi, quippe qui a fratrum filiabus abstinentum esse censuit, ἐνομοθέτησε δὲ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ ἐναρχίζεσθαι τινα, μήτε ἀδελφίδην γαμῆν. <sup>o)</sup> Sic autem Senatusconsultum in fauorem patruorum sub Claudio factum abrogauit. <sup>p)</sup> Sed nec haec Impera*

<sup>k)</sup> Tacit. in annalib. libr. XII. Cap. VI.

<sup>l)</sup> Sueton. in vit. Claud. Cap. XV.

<sup>m)</sup> Tacit. in Annal. libr. XII. Cap. 5.

<sup>n)</sup> Pighius in annal. T. III. pag. 579. Zonaras in annal. T. II. p. 185. ita vero talibus venia data est coniugiis, quae ad id tempus incesta habebantur. Sueton. in vit. Claud. Cap. XXVI.

<sup>o)</sup> Xiphilin. e Dion. in vit. Neruae edit. Reimar. pag. 1119.

<sup>p)</sup> Jacob. Cuiac. Obseru. Libr. XIII. Cap. XVI. Gerard. Noodt Obs. libr. II. Cap. V. et Schulting in nor. ad fragm. Vlpian. Titl. V. §. VI. de fororis filia hunc locum accipiunt, sed, cum illa matrimonia ea aetate iam





peratoris Neruae Constitutio diu viguit. contrarii enim mo-  
res posteriorum temporum illi derogarunt, et, si coniciere  
licet, illam Imperator sanctione sustulit. Ita enim ra-  
tiones subducimus. Sub Hadriano, Antonino Pio atque  
sequentibus Imperatoribus nuptiae patruum cum fratris filia  
iniustae sunt habitae, in cuius rei fidem Iureconsultum Ca-  
cium Hadriano atque Antonino Pio aequalem \*) testem pro-  
ducimus. Difertis enim ait verbis: *Fratris et sororis filiam*  
*uxorem ducere non licet,* \*) et iterata vice, *patris adoptiui*  
*mei, neptem ex filio uxorem ducere non possum,* \*) nec est,  
ut cum Iacobo Gothofredo, Aleandro, et Gerardo Noodcio \*)  
in priore loco Aniani deprauationem, in posteriore singu-  
lare prouinciarum ius statuamus. At sub Septimio Seuero,  
et post eius tempora connubia patruum cum fratris filia a Iure-  
consultis illius aevi iusta et licita declarantur. Praetermittimus  
Aemilium Papinianum \*\*), Iulium Paulum, \*\*) et Aelium Mar-

B 3

cianum

iam pro incestis fuerint habitae, et ipse Dio vocem *ἀδελφίδην* in Clau-  
dio pro fratris filia habeat, eam retinere significationem non dubitamus.

\*) L. VII. pr.  $\pi$ . de reb. dub. L. IX.  $\pi$ . ad Sctum Tertull. L. XXXII.  $\pi$ .  
de donat. int. vir. et vxor.

\*) libr. I. Institut. Titl. IV. §. 3 apud Schulting. in iurispr. refertur.

f) L. LV. §. 1.  $\pi$ . de rit. nupt.

\*) Iac. Gothofred. in Comment. ad Cod. Theodos. l. I. de incest. nupt.  
Aleander in not. ad Cuij Institut. libr. I. Titl. IV. §. 3. apud Schulting. in  
iurispr. anteiustin et Noodt. cit. loc.

\*) L. vi.  $\pi$ . de condict. sine caus. L. II. §. 1. L. XXXVIII. §. 1.  $\pi$ . ad l. Iul.  
de adult.

\*) L. XXXIX.  $\pi$ . de rit. nupt.





cianum <sup>u)</sup>, qui omnes, licet nuptias cum sororis filia pro incestis venditent, de fratris filia tamen mentionem nullam faciunt, et testimonii loco prouocamus ad DOMITIVM VLPPIANVM, <sup>z)</sup> qui sic ait. *Inter cognatos autem ex transuerso gradu olim quidem vsque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant, nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere, sed tantum fratris filiam, non etiam sororis filiam, nec amitam vel materteram, quamuis eodem sint gradu.* Inde merito concludimus, Imperatorem Seuerum in legibus illis, quas tulit de scortationibus, sanctionem Neruae sustulisse <sup>y)</sup> et senatusconsultum Claudianum restituisse, quod deinde nec per Diocletiani et Maximiani edictum, nec per Constitutionem quandam Constantini M. <sup>z)</sup> abrogatum est, sed ad Constantii et Constantis vsque viguit tempora, qui deum fratris filiae nuptias sub capitali prohibuerunt poena. <sup>a)</sup>

Dein-

<sup>u)</sup> L. 57. §. 1. π. de rit. nupt.

<sup>z)</sup> in fragm. tit. V. §. 6. apud Schulting in iurispr. Anteiustinian.

<sup>y)</sup> Xiphilius e Dione in vit. Septim. Sever. edit Reimar. T. II. pag. 1285. *ὡς καὶ περὶ τῆς μοιχείας νομοθετησὺν τινος.* vid. l. 13. §. 3. π. ad leg. Iul. de adulter.

<sup>a)</sup> L. 17. C. de nupt. Matrimonium cum fratris filia interdictum legitur, sed ea verba: *praeterea fratris filia et ex ea nepte* in Codic. Gregorian. libr. V. Tit. I., et in collat. leg. Mosaic. et Roman. Tit. II. VI. §. IV. apud Schulting in iurispr. Anteiustinian. non inueniuntur, vnde ex genio temporis a Triboniano fuisse addita Iac. Gothofredus ad leg. I. Cod. Theod. de incest. nupt. et Gerard Noodt in observ. libr. II. Cap. V. acute sentiunt.

<sup>a)</sup> Constantinum Sozomenus libr. I. Cap. XXXXVIII. *Τὰς ἀνομήτους καὶ*



Deinde imperante Zenone, cum Basiliscus tyrannidem occupasset, nuptiae cum fratris filia iterum licitae sunt declaratae, quibus tamen Imperator Zeno <sup>4)</sup>, nec non Anastasius <sup>5)</sup>, vel, uti Iacobo Cuiacio <sup>6)</sup> videtur, ille solus interdixit, a quo tempore ad Iustinianum <sup>7)</sup> vsque incestae sunt habitae, et ad nostram vsque aetatem multis conciliis <sup>8)</sup> ecclesiasticisque sanctionibus <sup>9)</sup> prohibitae leguntur.

CAP. IV.

*Ao. V. C. DCCCIV. Fausto Sulla et Salvio Otbone Consulibus de poena feminarum, quae servis coniunguntur, statuitur.*

Qui seruo persuadet, ut amator existat, vel ut stuprum patiat, ex Ulpiani et Pauli <sup>h)</sup> sententia, seruum reddit deterriorem

*καὶ καταβεβλανεμένους μίξας* coercuisse refert. Sed cum nulla eius ea de re constitutio extet, patri videtur tribuisse, quod est liberorum, vid. Iac. Cuiac. Obs. libr. VIII. Cap. XXVIII. et Iac. Gothofred. ad dist. leg. 1. Cod. Theod. de incest. nupt.

<sup>b)</sup> L. vlt. Cod. si nupt. ex refer. petant.

<sup>c)</sup> L. vlt. Cod. de inc. nupt.

<sup>d)</sup> Observ. libr. VIII. Cap. XXVIII. conf. Oisfel in not. ad Cuij Institut. libr. I. Tit. IV. §. 3. apud Schulting in iurispr. Anteiustin.

<sup>e)</sup> §. 3. Inst. de nupt. L. XVII. Cod. de nupt. l. vlt. C. de inc. nupt.

<sup>f)</sup> Ioann. Barth. Niemeier diss. de coniug. cum patris vxor. diuin. iur. prohib. §. LVII.

<sup>g)</sup> Etheord. de An. 1624. in Cod. Aug. T. I. pag. 1019.

<sup>h)</sup> l. I. §. 5. L. 2. 7. de serv. corr.





riorem. Nullum igitur est dubium, quin in feminas, quae ser-  
vos alienos suos in pellexerint amores, serui corrupti nomine  
Claudii ante tempora fuerit animaduersum. Num ex lege  
Aquiliana? <sup>d)</sup> nondum liquet, certius est, Praetorem edicto tale-  
lem quoque proposuisse actionem. Attamen grauior  
Praetore extitit morum censor Claudius. Eius enim sub  
Imperio Fausto Sulla et Saluio Othone Consulibus Ao.  
V. C. DCCCIV. Senatus censuit: <sup>k)</sup> *Vt mulier ingenua  
cuius Romana vel Latina, modo non sit filia familias, nec  
patrona, nec mater serui Domini, nec status sui nescia, in  
amplexus serui alieni ruens, non impetrato consensu serui Do-  
mini, ab eo, trina denunciatione, septem testibus ciuibus Roma-  
nis praesentibus, conuenta, nibilo tamen minus in eodem con-  
tubernio perseverans, interposito Decreto Praetoris in vrbe, vel  
Praesidis in prouinciis Domino serui tanquam ancilla cum  
omnibus bonis adiudicetur, adepto autem Domini consensu pro  
liberta declaretur.* Filia familias, quia inuito vel ignorante  
patre conditionem parentum e causa ciuili deteriore red-  
dere nequit, patrona et mater serui Domini, ne verecundia  
laedatur, vt et status sui nescia in seruitutem non detrudun-  
tur.

<sup>d)</sup> Claud. Chiflet. de fec. cep. leg. Aquil. Otton. thes. iur. T. V. infer. Heinecc. in antiq. iur. ad libr. IV. Tit. III. §. IX. Institut. id censent. conf. l. VI. z. ad leg. Iul. de adulter.

<sup>k)</sup> Conf. Iul. Paulus in rec. sentent. libr. II. Titl. XXI. apud Schulting: in iurispr. Anteiustinian. Cuiac. Observ. libr. XXI. Cap. XVI. Iac. Gothofred. ad Codic. Theodos. libr. IV. Tit. IX. Cur Suetonius Vespasiano in vita eius haec tribuat iura, disquirat Brummer in Commentar. ad Leg. Cinciam Cap. III. scilicet ob relationem eorum ampliorem.





tur. Discrimen autem fuisse inter mulierem, quae consensum Domini antea impetrauit, et quae illum omisit, Tacitus probat, ait enim <sup>1)</sup> *Inter quae refertur ad patres de poena feminarum, quae seruis coniungerentur, statuiturque, ut ignaro Domino ad id prolapsae in seruitute, sin consensisset, pro libertis haberentur.* Hic, quid vox *ignaro* denotet, interpretes vehementer turbat. PETRVS FABER <sup>m)</sup> pro *ignaro* reponit *ingrato*. quasi inuito, merito igitur a GRONOVIO <sup>n)</sup> reprehensus, IACOBVS CUIACIVS <sup>o)</sup> interpretationem Lipsii laudans, *ignaro* eandem tribuit significationem, quam nescienti, sed ipse sibi mouet lapidem, cum, qui nescit, non potest denuntiare. Alii aliter. Nobis ita placet. Ignarus hic consentienti opponitur, et pro eo, cui alter nihil patefecit, nec eius consensum impetrauit, hoc enim est in consentiente, fimitur. Cuius autem consensus non est impetratus, ignarus, seu cui alter nihil notum fecit, dici, et ille, aliunde recognita, alterum denunciatione, si sua interest, conuenire potest.

Quod senatusconsultum, tanquam suis temporibus indignum Iustinianus sustulit. <sup>p)</sup>

## CAPVT

<sup>1)</sup> libr. XII. Annal. Cap. LIII.

<sup>m)</sup> semestr. libr. I. Cap. XXV.

<sup>n)</sup> in not. ad hunc loc. Tacit.

<sup>o)</sup> libr. XXI. Obs. Cap. XVI.

<sup>p)</sup> §. 1. Institut. de success. subl. e Scto. Claudian. §. unic. Codic. de Scto. Claudian. tollend. Aliam rationem satis lepidam e Novell. 74. Cap. IV. suppeditat Euerard Otto in Commentar. ad §. I. Inst. de success. subl. e Scto. Claudian.



*De sanctionibus Claudii ad tutelam pertinentibus*

Legis Claudiae de tutelam, cuius mentionem facit Vlpianus, aetatem quidem non patere, eius tamen varia fuisse capita, e disiectis hinc inde laciniis recte colligitur.

Scilicet ab antiquissimis reipublicae temporibus, feminas ob consilii infirmitatem et rerum forensium ignorantiam in tutorum potestate esse debere placuit.<sup>4)</sup> Haec tutela, finita pupillari, erat perpetua, quae vel testamento, vel lege, vel a magistratu mandabatur.<sup>5)</sup> Legitima proximis competebar agnatis. eo enim tutelam referebant, quo, nisi feminae heredes intercederent, hereditas rediret.<sup>6)</sup> Ne autem agnati hac nimium premerentur tutela, licebat illis alteri, si recte ratiocinatus est GOTHOFREDVS<sup>7)</sup> proximo in gradu, tutelam cedere.<sup>8)</sup> Quod ne amplius fieret lege Claudia cautum. ea enim, salua manente tutela legitima, quod ad agnatos attinebat, eius cessionem prohibebat. Porro cum antea consanguineus patruus tutelam nancisceretur legitimam, id quoque lex Claudia verabat, cuius rei rationes licet in tanta rei obscuritate certas deprehendere vix possi-

<sup>4)</sup> Linius histor. libr. XXXIV. Cap. II. Cicer. pro Muren. Cap. XII. et pro Flacc. Cap. XXXIV. Vlpian. in fragm. tit. de tutel. apud Schulzing. in iurispr. Anteiustinian.

<sup>5)</sup> Heinecc. in commentar. ad leg. Iul. et Pap. Popp. libr. II. Cap. XI. nec non Ever. Ott. in diss. de tutel. mulier. perpet.

<sup>6)</sup> Iac. Gothofred. ad l. LXXIII. ꝯ. de reg. iur. l. VII. ꝯ. de cap. minut.

<sup>7)</sup> ad leg. 2. Cod. Theodof. de tutor. et Curator. creand.

<sup>8)</sup> Kuffner epistol. de tutel. cessio. Lipsi. 1745.





possimus, non tamen e lege Voconia \*) repetendae videntur, potius cum ferox patruorum haberetur ingenium †), e temporum ratione et Principis indole, quibus pene omnia tunc patebant, feminas principem ad id rapuisse, et ad ius nouum introducendum commouisse, veri prae se fert speciem, quod deinde, veteri iure quasi postliminio reducto, Constantinus ‡) abrogauit.

Memorat Suetonius §) Claudium sanxisse, vt pupillis extra ordinem tutores a Consulibus darentur, hac ne lege, an alia, incertum est. Cum enim tutores ex legibus Atilia, Iulia et Titia Romae a praetore urbano, et maiore parte tribunorum plebis, in prouinciis autem a Praesidibus prouinciarum crearentur §), etiam a Consulibus pupillis vtriusque sexus tutores ex inquisitione ¶) dari Claudius iussit, quod sub Traiano adhuc in vsu fuisse testatur Plinius. §) De Curatoribus in arrogationibus adhibendis Claudium quoque constituisse Modestinus auctor est. Ait enim: *Quod, ne ¶) Curatoris auctoritas in*

C 2

terce-

\*) Iac. Gothofred. l. c.

†) Ian. Vincent. Grauiua de origin. iur. ciuil. pag. 330. seq.

‡) L. 2 Cod. Theodos. de tutor. et Curator. creand. l. 3. Cod. de leg. tut.

§) in vit. Claudii Cap. XXIII.

§) pr. Institut. de Atilian. tut. et eo qui ex leg. Iul. et Tit. dabatur.

¶) §. 3. Institut. de Atilian. tut. Theophilus in paraphraf. Institut. ad h. l., inquisitio fiebat, num locupletes essent tutores futuri, an honestam agerent vitam, an alienum possent administrare patrimonium vid.

\*) Libr. IX. Epist. XIII.

¶) l. VIII. ꝛ. de adopt. et emanc.





*tercederet, in arrogatione ante tenerat, sub Diuo Claudio re-  
 cte mutatum est. Lex sane difficilis, et non nisi e pristini iu-  
 ris rationibus explicanda. De arrogationibus GELLIVS <sup>f)</sup>  
 arrogantur ii, qui cum sui iuris sunt, in alienam se se tradunt  
 potestatem, eiusque rei ipsi auctores fiunt, sed arrogari non  
 potest, nisi iam vesticeps. Sub Claudio tutela pubertate  
 regulariter finiebatur, et non nisi prodigus, qui patri  
 suo ab intestato successerat, et furiosus e XII. Tabl. le-  
 gibus <sup>g)</sup> Curatorem accipiebat, e lege Laetoria autem vel  
 propter lasciuiam, vel propter dementiam Curatores dabantur,  
 propter lasciuiam etiam iis, qui paternae hereditati e testamen-  
 to se immiscuerant. <sup>h)</sup> Pupillus arrogari non poterat, quia  
 tantam in pupillos esse auctoritatem potestatemque tutoribus,  
 vt caput liberum fidei suae commissum alienae subiicere pos-  
 sent ditioni, fas non esse censebatur, ideoque vesticipem, quae  
 vox puberem significat, desiderabant. qui enim pueritiam  
 egrediebatur, posita praetexta, et puerili habitu dimisso, toga  
 pura indutus, ab agnatis non sine magna in forum ducebatur  
 celebritate, et sic forensibus idoneus declarabatur negotiis.  
 Vesticeps, cum, vt antea monuimus, regulariter nullum tunc  
 temporis haberet Curatorem, ipse in arrogatione auctor fie-  
 bat. At quam lubrica est pubertatis aetas? plerumque anno  
 XVI.*

<sup>f)</sup> libr. V. Cap. XIX.

<sup>g)</sup> Iac. Gottofr. in Comment. ad XII. Tabl. Tabl. V.

<sup>h)</sup> Illustr. Ritter in not. ad Heinecc. histor. iur. §. 99. qui Caput tertium  
 legis Laetoriae, ab Heineccio minus recte intellectum, restituit, et egre-  
 gie explicauit.





XVI. togam sumebant virilem. nullum enim certum togae mutationi praefixum fuisse terminum clariss. SCHOTT<sup>i)</sup> recte censuit. Hinc ne tales in arrogationibus circumscriberentur iuvenes, Claudius

*Vt Curatores in arrogationibus adhiberentur, sanxit.*

### C A P. VI.

#### *De Praetoribus fideicommissariis.*

Ignorabant XII. Tabulae fideicommissa, quae, cum eorum origo in dolo et calliditate ad fraudandam legem, et ad deoluenda astute bona defuncti ad eos, quibus directe relinqui non poterant, recte ponatur, <sup>b)</sup> sub libera republica Iudicis auxilio destituebantur. Primus fuit Augustus, qui semel iterumque gratia personarum motus iussit <sup>c)</sup> Consules in fideicommissariis auctoritatem interponere quaestionibus, et eum, qui rogatus erat, ad restituendum cogere. Quod quoniam iustum videbatur et populo acceptum, Claudius duos, qui de fideicommissis ad certam vsque summam <sup>d)</sup> ius dicerent, creauit Praetores, <sup>e)</sup>

C 3

quae

<sup>i)</sup> In Diff. de leg. Vill. Annal. §. 2.

<sup>b)</sup> cons. Francisc. Hotomann. Antitribonian. seu de leg. Roman. stud. C. VII.

<sup>c)</sup> §. 1. Institut. de fideic. heredit. Theophil. in paraphraf. Institur. ad h. l.

<sup>d)</sup> Quintilian. Instit. Orator. libr. III. Cap. VI. Non debes apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud Consules, maior enim praetoria cognitione summa est.

<sup>e)</sup> §. 32. l. 2. ꝑ. de Orig. iur. Eberlin de Orig. iur. C. XXX. Forte id Claudio II. et C. Largo Coss. ao. V. C. DCCXCIV. factum est. Refert enim Dio libr. LX. in vit. Claudii, eo tempore numerum Praetorum variasse,





quae extra ordinem consulibus antea erat mandata iurisdictione, eam, ad quantitatem Praetoribus commissam, ademit, ceteroquin in ordinariam vertit<sup>\*)</sup>, quid, quod fideicommissorum ius ad prouincias quoque extendit, et cognitionem potestatibus seu praesidibus prouinciarum dedit. Sed e Praetoribus vnum detraxit Titus <sup>o</sup>), cuius Iustinianus Claudii tempora praetermittens in Institutionibus fecit mentionem.

### C A P. VII.

*De iis, quae l. 2. π. qui sine manum. et l. 3. §. 4. π. de minor. proponuntur, Claudii Edictis.*

Modestini. libr. 6. Regular. *Seruo, quem pro derelicto Dominus ob grauem infirmitatem habuit, ex Edicto Dni Claudii competit libertas.* Cum illa, quam in seruos sibi vindicabant Quirites, potestas in crudelitatem saepius abiret, primus Dominorum cohibere coepit saeuicium Augustus. <sup>o</sup>) Sed maiorem in modum seruorum saluti consuluit Claudius, is enim, quia Domini *δούλους ἀφ' ὧσ' ἄντας ἐδεμίως θεραπειάσας ἤξιεν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὀκνῶν*

variasse, cum XIV. aut XVIII. aut medio inter hos numero fuerint creati.

<sup>\*)</sup> Sueton in vit. Claudii Cap. 23. Vlpian. in fragm. tit. 25. §. 12. L. 19. §. 1. π. de iurisdic. Ciuiac. in Obs. libr. XXI. Cap. XXXIV.

<sup>o</sup>) §. 32. L. 2. π. de orig. iur.

<sup>o</sup>) Tacit. libr. VI. Annal. Cap. XI. Zonar. Annal T. II. pag. 165.





κίων ἐξέβυλλον<sup>2)</sup> edicto<sup>3)</sup>, Vt aegra et affecta mancipia, a Dominis taedio medendi exposita, libera essent, nec redirent in ditionem Domini, si conualuissent, Domini autem, qui necare, quam exponere mallent, caedis crimine tenerentur, proposuit, cuius rei elegantem nobis suppeditat rationem Modestinus, scilicet, quia Dominus feruum pro derelicto habuerit, res autem derelicta desinat esse Domini,<sup>4)</sup> et fiat nullius, seu in statum regrediatur naturalem, in quo omnes homines sint liberi.<sup>5)</sup> Libertatem igitur consequerentur mancipia, taedio medendi exposita, sed qualem? Latinam seu minorem tantum, ut docet Iustinianus,<sup>6)</sup> qui autem ea necare, quam exponere malebant, poena legis Corneliae de sicariis<sup>7)</sup> plebentur.

L. 3. §. 4. π. de minor. verb. fin. *Nec eo mouemur, quasi intersit filii peculium habere. magis enim patris quam filii interest, licet aliquo casu ad filium peculium spectet, utpote si patris eius bona a fisco propter debitum occupata sunt. nam peculium ei ex constitutione Claudii separatur.*

Debi-

<sup>2)</sup> Dion. histor. Roman. libr. LX.

<sup>3)</sup> Sueton. in vit. Claudii Cap. XXV. Nordckereck in disqu. de leg. Petron. Cap. III. §. 13. Edictum hoc Claudio IV. et L. Vitellio III. Coss. Ao. V. C. DCCXCIX. propositum est.

<sup>4)</sup> l. I. π. pro derelict.

<sup>5)</sup> §. 2. Inst. de iur. perf.

<sup>6)</sup> l. vnic. §. 3. Codic. de Latin. libert. tollend.

<sup>7)</sup> l. I. §. 2. π. ad leg. Cornel. de ficar.

diſtio,  
cetero-  
um ius  
tatibus  
vnum  
racter-

π. de

diſto Do-  
Claudii  
licabant  
nus Do-  
maiores  
n, quia  
κ τῶν ὀ-  
κίων

o fuerint

§. 12. L.  
IV.





Debitor, qui per fortunae inuidiam creditori nequit satisfacere, ei sua bona, vt, quantum fieri possit, inde capiat solutionem, e lege Iulia <sup>w)</sup> potest cedere, qui autem fraudationis causa latitat debitor, nec boni viri arbitratu defenditur, in eius bona e Praetoris mittitur Edicto creditor, nec ei quaedam, sed omnia obnoxia sunt debitoris bona, et sic creditor, vti et fiscus creditor, debitoris bona in nostra lege dicitur occupare.

Claudii temporibus peculia liberorum, exceptis castrensibus, erant profectitia, ignorabantur quasi castrensia et aduentitia <sup>x)</sup>. quicquid enim liberi acquirebant, patri acquirebant. <sup>y)</sup> Num igitur mirum, si liberorum peculia, exceptis castrensibus, tanquam res patris, ob eius debitum, creditoribus vindicarentur, cum plus patris interesset, quam filii peculium habere. Attamen Claudius, qui rerum vel a patre sine fraude donatarum, vel aliunde acquisitarum, dominium a natura

<sup>w)</sup> tit. Codic. Theod. qui bona e leg. Iul. ceder. poss. Cessionis beneficium fisci debitoribus negauit Theodosius M. I. IV. Cod. Theodof. de fise. debitorib. anterior. sed de iis fisci debitoribus, qui culpa sua facultatibus exciderunt in leg. I. Cod. Theod. qui bon. e leg. Iul. ceder. poss. inuenitur constitutio, ad quam Gothofredus in Commentario quaedam de Valentiniani I. eius rei causa editis sanctionibus.

<sup>x)</sup> Galuan. de vsufr. Cap. VII.

<sup>y)</sup> Sic Iuuenal. Satyra XVI. v. 52. sqq.

*Quae sunt parta labore*

*Militiae, placuit, non esse in corpore census,*

*Omne tenet cuius regimen pater*

§. I. Institut. per quas perf. nob. acquirit.



tura liberis esse cognoscebat, statuit, vt liberorum peculia tunc, cum fiscus bona patris ob debitum occuparet, separarentur.

C A P. VIII.

*De Claudii Edictis ad legem Cinciam, et, ne mulieres pro viris intercederent, nec non de lege Claudia, ne filii familias in mortem parentum pecuniae crederentur.*

Ad legem Cinciam sanxit Claudius, vt pro causa oranda vsque ad dena sestertia capere liceret, et, qui amplius quid acciperet, repetundarum teneretur.<sup>a)</sup> Magnum certe patrocini honorarium. dena enim sestertia centum aureos<sup>b)</sup> efficiunt, totidem etiam Magistratus vrbanus<sup>b)</sup> doni muneris-  
 tie per annum accipere poterat. Nostris temporibus tale quidem obsolescere coepit laboris praemium, attamen poena quadrupli,<sup>c)</sup> in eos, qui modum pecuniae accipiundae, agendis aliorum causis positum, egrediuntur, variis stabilita est legibus. Sanxit Claudius, ne feminae pro viris intercederent, ita quoque Senatusconsulto Velleiano<sup>d)</sup> iisdem temporibus condito, ne fideiussionis et mutui dationis, quibus pro aliis feminae intercederent, nomine ab his petitio, neue in aetio daretur, statutum, sic denique in Nouellis Iustinianeis

D

<sup>a)</sup> Tacit. Annal. libr. XI. Cap. VIII.

<sup>b)</sup> Lipsius ad h. l. Tacit.

<sup>c)</sup> L. 6. §. 2. ꝛ. ad leg. Iul. repetund.

<sup>d)</sup> Eam fuisse repetundarum poenam e lege Iulia desumptam, et ab Augusto in oratores, qui praemia accepissent, secundum Dion. libr. LIV. statutam, ait Brummer ad leg. Cinc. Cap. IV. negari tamen nequit, interdum grauiorem fuisse.

<sup>e)</sup> pr. et §. 1. l. II. ꝛ. ad Senatusc. Vellei.





neis \*) mulierum intercessionibus pro maritis sunt prohibita. Nostri temporibus mulier, cum de iuribus et beneficiis feminarum intercedendum edocta, in iudicio coram iudice ordinario vel rei sitae consensu Curatoris †) iuramentum eorum fecerit renuntiationem, pro viro valide intercedit. Merito autem, unde iusiurandum hic veniat, disquiritur. Num illud novam producat obligationem? Num optimas legum dirimere possit sanctiones? Num legislatores nostri tanta non gaudeant auctoritate, ut sine illo feminas, iure naturali iam obligatas ad fidem servandam, possint adstringere. Sed iuri et clero Pontificio ‡) hoc deberi, alii iam ostenderunt. Certe vix

\*) Nouell. 134. Cap. VIII. et Auth. si qua Mulier ad leg. 22. Cod. ad Seram Velleian.

†) Serenissimus Elector in Decisione de An. 1746. XXIV. sapienti consilio statuit. *Dass es des SCri Velleiani, oder der Authenticae si qua mulier hierbey zu gedenken, oder solche der Eydes Notul mit einzurückken nicht nöthig, sondern genug seyn solle, wenn die Weiber sich aller der Bürgschaften halber ihnen in den Rechten nachgelassenen Wohlthaten, und die Eheweiber, insonderheit derer, welche den Eheweibern, wenn sie vor ihre Männer sich verbürgen, und das Geld in ihren Nutzen nicht verwendet worden, zusehen, nach vorgehender derselben Erklärung sich begeben, dergleichen Verbürgungen und Renuntiationes aber nirgends anders, als vor derer Weibspersonen ordentlichen Richter, oder dem Iudice rei sitae verbindlich geschehen können.* In Decisione Electorali XXV. de Ao. 1661. requiritur ein körperlicher Eyd, mit demn Worten. *So wahr mir Gott helfe und sein heiliges Wort.* Quod fecus iure communi Leyser ad π. Spec. CCXXII. Med. II. Schilter ad π. Exercitat. 28. §. XI. Iure Saxonico iusiurandum in intercessionibus feminarum pro suis maritis solum quoad res dotales, in donationem propter nuptias vel dotarium constitutas, desideratur P. II. Conflit. XVI. Philipp. ad Decis. XXV. Obf. III.

‡) Cap. IX et XXVIII. X. de iureiur. Petr. de Ludewig. P. II. differ. iur. Rom.



vix vllam tale iusiurandum, affert vtilitatem, nec mulier de iuribus et priuilegiis feminarum intercedentium erudita, nihilominus tamen intercedens, rationem conquerendi habet, <sup>b)</sup> quare cum Petro de Ludewig <sup>1)</sup> iuribus iurandis his et multis aliis in causis nuntium mittere Principi suaderem, forte etiam e republica esset in rebus dotalibus, in donationem propter nuptias et dotalitium constitutis, ab omnibus plerasque mulieres arceret intercessionibus. Pro aliis femina maiorennis, de iuribus et priuilegiis feminarum intercedentium edocta, consensu Curatoris, et Mariti, si maritata sit, in iudicio valide <sup>b)</sup> intercedit. Claudius lege lata saeuitiam creditorum coercuit, ne in mortem parentum pecunias filiisfamilias foenori darent, <sup>1)</sup> Vespasianus autem auctor fuit senatui decernendi, ne filiorumfamilias foeneratoribus exigendi crediti <sup>m)</sup> ius vnquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem, Dudum igitur a Iureconsultis fuit disquisitum, cuius ad tempora Senatusconsultum Macedonianum, quo, <sup>n)</sup> ne cui, qui filiosfamilias mutuam dedisset pecuniam, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, actio petitioque daretur, vt scirent, qui pessimo foenerarent exemplo, nullius posse filiisfamilias bonum nomen

Rom. et Germanic. in Scto. Vellei. pag. 32. Iust. Henning Boehmer in tract. de efficac. mulier. intercess. Cap. I. §. IX.

<sup>b)</sup> Iuriurando, vt Iudex causae cognitio nem prius instituat, et, si e re mulieris videatur, decretum interponat, substitui possit.

<sup>1)</sup> l. e. nec non in der Erlaüterung der güldenen Bulle T. I. §. 7. lit. h.

<sup>2)</sup> Boehmer de efficac. mulier. interc. Cap. II. §. XX. Berger in Oecon. Iur. libr. III. tit. III. §. VIII. Not 8. Carpz. ad P. II. Const. XVI. def. 17.

<sup>3)</sup> Tacit. Annal. libr. XI. Cap. XIII.

<sup>m)</sup> Sueton. in vit. Vespas. Cap. XL

<sup>n)</sup> pr. L. I. 7. de Senatusc. Macedon.

ibitae.  
is femi-  
e ordi-  
um fe-  
rito au-  
n illud  
m diri-  
ata non  
iam ob-  
iuri et  
Certe  
vix

Cod. ad.

enti con-  
qua mu-  
zurück  
der Bürg-  
und die  
e vor ihre  
endet wor-  
en, der-  
et, als vor  
sitrae ver-  
o. 1661.  
Gott hel-  
7. Spec.  
Saxonico  
is solum  
ium con-  
Obf. III.  
iffer. iur.  
Rom.





nomen expectata patris morte fieri, stabilitur, sit referendum. Non placet sententia PETRI FABRI,<sup>o)</sup> qui sub Claudio Vespasianum senatorem adhuc ea de re ad Senatum retulisse suspicatur. eius enim iuris introductio Vespasiano tanquam Principi a Suetonio tribuitur. Non placet iis, qui Tacito Suetonium censent repugnare, assentiri, cum res aliter salua esse possit. Scilicet sanctio Claudii, quam Tacitus legem vocat, edictum fuisse, et eam sanctionem Vespasiano Suetonius ideo, quia deinde super ea re ad Senatum retulerat, tribuisse videtur. Sane ob Suetonii verba, ne foeneratoribus exigendi crediti ius vnquam, ne quidem post patrum mortem, esset, iis, quae in Senatusconsulto leguntur, similia, non dubitamus, quin illud Vespasiani vindicemus temporibus. Non a foenatore, sed a filiofamilias nomen accepisse Senatusconsultum Macedonianum asseruit THEOPHILVS<sup>p)</sup>, a multis deo, quorum catalogum MENAGIVS<sup>q)</sup> dedit, reprehensus, sed a MARANO<sup>r)</sup>, REINOLDO<sup>s)</sup> et LEYSERO<sup>t)</sup> strenue defensus. Nostra aetate Senatusconsultum Macedonianum obseruari<sup>u)</sup> inter omnes constat.

o) libr. I. Semestr. Cap. XXV.

p) in paraphr. Institut. libr. II. Cap. VII. §. 7.

q) in amoen. iur. Cap. XXXIX. sub voc. Macedonian. Sc̄tum.

r) in Paratit. ad tit. 7. de Sc̄to Macedonian.

s) in diss. ad Senatusc. Macedonian.

t) in Medit. ad 7. Spec. CLXIII.

u) Berger. in Oecon. iur. libr. III. tit. II. §. 2. Schilter. ad 7. Exercitat. XXVII. §. LXI. seqq.





Witkenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35







552.  
1770 3

D. B. V.

A D

AVDENTIAM  
DII IMPERATORIS  
MENTATIO

Q V A M

P R A E S I D E

S S E R E N I S S I M I E L E C T O R I S  
N I C I G R A T I A

T O R V M O R D I N I S A V G T O R I T A T E  
C A P E S S E N D O S

O Q V E I V R E H O N O R E S

I A . O . R . C I D I C C L X X .

L . Q . C .

E N D E T

S T I A N V S F R A N C K I V S

B E R G E N S I S

S Q V E C A N D I D A T .

B E R G A E

I C H R I S T I A N I D Ü R R I  
E M I A E A T Y P I S .

